



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quando præscriptio non procedat, seu non currat, vel dormiat, aut suspendatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

stentur, intra hoc tempus nunquam vidisse vel audivisse se aliud.

SECTIO IV.

De nonnullis impedimentis prescriptionis, quominus ea procedat, vel capta continuetur, & derestitutione adversus eam jam completam.

§. I.

Quando prescriptio non procedat, seu non currat, vel dormiat, aut suspendatur?

Prescriptio dicitur non procedere, sive non currere, quando ob aliquam causam incipere non potest, vel quia deest possessio civilis, sine qua nulla datur usucapio; vel quia bona fides aut titulus deficit, si hic ad prescribendum est necessarius; vel denique ex incapacitate ipsius rei ad prescribendum hic & nunc inhabilis; dormire dicitur prescriptio, quando inchoata quidem legitime jam est, propter impedimentum interveniens ad aliquod tempus currere non potest, sed suspensa manet, & quasi quiescit, ita tamen, ut cessante tali impedimento, iterum currat, & continuari possit, ad prescriptionem complendam tempus, quod, antequam dormiret prescriptio, currabat, & tempus, quod post ablatum impedimentum currit. Censetur autem tali modo dormire, primo tempore hostilitatis sive belli, uti patet ex c. *extranmissa* 10. h. t. Secundo dormit prescriptio contra Ecclesiam, quando hæc vacat c. 1. & ult. *ne sede vacante* & c. vel si Prælati agere non possit censurâ aliquâ aut im-

pedimento juris (non facti tantum) impeditur c. 1. & c. *Auditis* 15. h. t. Tertiò contra Ecclesiam Romanam dormit, si schisma sit in illa Ecclesia; vel contra Romanum Imperium, si vacat hoc, aut contra pupillum, si daret adhuc pupillaris ætas & c. quia in his casibus aut jura non dicuntur, vel de jure agere non potest, contra quem prescribitur, vel suo legitimo defensore caret Ecclesia & c.

§. II.

Quando & quomodo prescriptio interrumpatur, & an etiam per impetrationem privilegij contrarij.

Interrumpi dicitur prescriptio, quando antequam completur, ita cessat, ut cessante etiam interruptionis causâ prius & posterius tempus non continentur ad complendam prescriptionem, sed de novo debeat inchoari, & totum tempus præcedens interruptionem sit extinctum, prout sumitur ex c. *illud autem* 8. h. t. qualis interruptio censetur fieri, quando deficit aliquid, quod ad substantiam sive essentiam prescriptionis requiritur, ut si amittatur possessio civilis; si cesset bona fides; si cesset titulus, ubi hic requiritur; vel si jura ita disponant (à quorum dispositione prescriptio vim suam & auctoritatem habet) prout de prescriptione longi & longissimi temporis disponunt, quod interrumpatur per litis contestationem Juridicam, si postmodum sententia contra possessorem lata fuit, nisi presumptio sit ex sufficientibus conjecturis contra Actorem, quod litem malo animo, præcisè ad interrompendam aut prolongandam prescriptionem moverit.

A a a 3

Si